

Digitaliseret af | Digitised by



**DET KGL.
BIBLIOTEK**

Royal Danish Library

Forfatter(e) | Author(s): Geelmuyden, Joachim Christian.; submittet
Joachimus Christianus Geelmuyden.
Titel | Title: Dissertatio inauguralis juridica de vera juris,
patriæ præcipue, natura et indole ejusque
justa et legitima administratione ...
Udgivet år og sted | Publication time and place: Havniæ : typis Berlingianis, 1760
Fysiske størrelse | Physical extent: 58 s.

DK


Materialet er fri af ophavsret. Du kan kopiere, ændre, distribuere eller fremføre værket, også til kommercielle formål, uden at bede om tilladelse. Husk altid at kreditere ophavsmanden.

UK

The work is free of copyright. You can copy, change, distribute or present the work, even for commercial purposes, without asking for permission. Always remember to credit the author.



Oldenburg



Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA
DE

VERA JURIS,
PATRIÆ PRÆCIPUE,
NATURA ET INDOLE EJUSQUE
JUSTA ET LEGITIMA
ADMINISTRATIONE;

UTPOTE OMNIBUS SUMME NECESSARIA ET UTILISSIMA

QVAM

SUMMI NUMINIS FAVORE

OCCASIONE

LÆTISSIMI ET FELICISSIMI,
PRO ABSOLUTA, ANTE SECVLI DECURSUM
IN HISCE REGNIS AUSPICATISSIME INTRODICTA
REGIMINIS FORMA

D. 16. ET SEQV. OCT. AN. MDCCLX. HABITI JUBILÆI

INCLVTTISSIMÆ

QVÆ HAVNIÆ FLORET, FACULTATIS
JURIDICÆ NOMINE

AD

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES OBTINENDOS

INVITATUS

PUBLICÆ LUCI CREDITIT, ET ERUDITORUM ULTERIORI DISQUISITIONI
AC JUDICIO, QUAM POTEST AMICISSIME

SUBMITTIT

JOACHIMUS CHRISTIANUS GEELMUYDEN;

J. U. ET PHIL. DOCT. SENATOR IN CURIA BERGENSI ET NOTARIUS
PUBLICUS REGIUS IBID.

HAVNIÆ, TYPIS BERLINGIANIS.

DISSEMINATION OF KNOWLEDGE
IN THE
PATRIE TRADITION
NATIONAL INSTITUTE
INSTITUTION
ADMINISTRATION
REPORT
L. ELLIS
TO THE
COMMISSION
ON THE
FUTURE OF
THE
NATIONAL
INSTITUTE
OF
EDUCATION
AND
THE
FEDERAL
GOVERNMENT
OF
CANADA
1971

Præfatio.

Lætissimi illius, exoptatissimi, auspiciatissimi, quod hisce diebus cunctorum oculos, aures atque animos nova quadam, nec a septem nostris trionibus antea exaudita lætitia, recreat & exhilarat, Jubili occasione. Quum jam vertente & felicissime peracto Seculo (Summo summa laus fit & gratiarum actio Numini) ex quo Auspicatissimum illud, majoribus ignoratum nobis, ferisque posteris non fatis decantandum, & sua meritissima laude extollendum, Absolutum & Hæreditarium Jus in Serenissimos, Clementissimos, Optimos Gemelli hujus Borealis Regni Monarchas non felicius magis delatum, quam sanctissime, justissime, sapientissime & universis Regnorum civibus & incolis quam maximo gaudio & emolumento est continuatum. Hoc, inquam, gratissimo juxta ac faustissimo Jubilo monente, svadente, impellente, Generosissimi, Nobilissimi, Summe Venerabiles Consultissimi Almæ Universitatis Havniensis Antistites, nova quadam in summis Honoribus promotione, Re-

gium illud Regnorumque decus & humanitatis Lyceum, volente Serenissimo Rege, sub cuius tutela cuncti securi acquiescimus, pro virili illustrare sunt conati: ut aliquomodo signis quibusdam & criteriis patefeat, quo, nullis verbis, signis vel indiciis satis exprimendo, exhilarantur gaudio: Quod (tot viginti videlicet) lustris Absoluto Imperio; immo quod ad Regnorum, cunctorumque civium felicitatem attinet, absolutissimo, divina nos beare voluit benevolentia. Unde, cum in singulis Almae Universitatis Facultatibus Summi, Doctorum nempe, honores in meritissimum quemque sint collati; Inclytissima etiam Juridica Facultas mihi, quantumvis variis Officiorum, quae Serenissimae Regiae Majestatis Summae debeo Clementiae & accepta fero, occupationibus districto Doctoris Juris dignitate honoratum maestumque voluit. Quod non potui non summo ducere honori, & gratissimo accipere animo, non solum ob dulcedinem fulgoremque illum, quem Almae Academiae Rectores favore suo sibi ab omnibus conciliant: verum etiam: quam maxime, quum ad illud respiciam tempus, quo ille mihi
gloriae

gloriæ apex contigit. Quum vero mearum sit partium,
 ut non minus a me, quam à reliquis, quibus ejusmodi
 contigit honor, Doctorum videlicet decoratis dignitate,
 Inauguralis quædam concinnanda atque mittenda sit dis-
 fertatio: non leviter initio hæsitabam; hinc acutissimi il-
 lius Cornelii Taciti effatum me monuit: Omnes, inquit,
 qui magnarum rerum consilia suscipiunt, æstimare de-
 bent, an quod inchoatur, promptum effectu, aut certe
 non arduum sit. (*) Illinc nostram tenuitatem, vel qua-
 lemcunque mediocritatem: item quod ad disputationem,
 ab illo præferim, qui Doctoris ornandus est dignitate,
 expectandam requiritur, considerans. Hoc, inquam,
 non exiguum mihi movit scrupulum, jam integro decen-
 nio tam procul ab Academia degenti, & ejusmodi nego-
 tiis occupato, in quibus nihil occurrit minus, quam gra-
 ves illæ & subtiles Academicæ in Jure quæstiones: Et
 cui copiosæ illæ, cordatæ & ordine congeptæ Eruditorum
 lucubrationes, quæ in splendidis illis vastisque Bibliothe-
 cis servantur, omnino desiderantur: nec id temporis

A 3

supperit

(*) Vid. Hist. Lib. 2. c. 76. 2.



suppetit, quod in rimandis interioribus Juris adytis ex-
 pofcitur. Nihilo tamen fecius, cum Literati illius Con-
 feffus summam noverim expertusque fim humanitatem
 dubio tandem defititi, & meas qualescunque cogitationes
 (fi modo Celeberrimi Brabeutæ, Vos album adjeceritis
 calculum) credere luci aufus fum. In eligendo autem
 Themate valde diuque hærebam; donec tandem ad Ju-
 ris & Justitiæ veros fines refpicienti, De vera Juris natu-
 ra & indole ejusque legitima adminiftratione agere vifum
 eft; utpote muneribus noftris accommodatiffima, nec a
 difputando aliena materia. Haud equidem, Candidiffi-
 mi Cenfores & Lectores, ignoro meam hanc opellam
 Veftræ expectationi non ufque quaque refponfuram, &
 fapius non pondera minus & momenta rerum, quam
 verborum elegantiam & ampullas defuturas. Nihilo ta-
 men fecius Veftra, ut dixi, humanitate fretus hancece
 qvalemunque contexere telam fum aggreffurus. Cujus
 Summam fequenti Schemate fiftimus.

Differtationis Σύνοψις.

§. I.

Juris definitionem, ejusque vocis derivationem, exponit.

§. II.

Justitia describitur. Disperscitur in Distributivam, Punitivam, Commutativam & Oeconomicam.

§. III.

Variis similitudinibus Justitia illustratur: monstraturque, quibus olim hodieque Emblematis fuerit representata.

§. IV.

Juris summa necessitas & utilitas demonstratur.

§. V.

Juris Administratio, ejusque Causa Finalis & origo explicatur.

§. VI.

Leges inter Objecta administrandi Juris primo pertinere demonstratur, earundemque origo generaliter describitur.

§. VII.

Legum necessitas ex bono, quod secum ferunt, & malo, quod arcent, probatur.

§. VIII.

De Magistratu generatim & Summo Magistratu specialiter, ut Legislativo agitur.

§. IX.

Summus ille Magistratus, ut Judiciarius & puniens consideratur.

§. X.

Ejusdem in pœnz proportionem prudentia explicatur.



§. XI.

Ipsos Imperantes plurimum ad servandas leges facere probatur; quod variis utrinque confirmatur Exemplis.

§. XII.

De Judicibus inferiorum Tribunalium agit; eorumque officium in sequenda legis norma explicat.

§. XIII.

De Judicum habitu; speciatim quoad Intellectum in legibus rite intelligendis & applicandis.

§. XIV.

De eorundem habitu quoad voluntatem; ubi pluribus agitur de ipsorum sinceritate & integritate animi.

§. XV.

Aliæ personæ ad omnem causam necessariae; speciatim Actor vel Accusator, & reus vel accusatus, eorumque officia describuntur.

§. XVI.

De personis in foro minus necessariis: Speciatim de Inreconsultis, Advocatis & Procuratoribus eorumque officiis differitur.

§. XVII.

Plures minus necessariae expendantur personæ, ut Assessores & Notarii vel Scribæ forenses, executores &c.

§. XVIII.

Testes considerantur, eorumque qualitas examinatur, & quatenus ipsorum admittenda vel rejicienda sint testimonia.

§. XIX.

De Juramentis agitur quam pie sint præstanda, & quam religiose servanda.

§. XX.

Consilium datur, ut lites quam celerrime transigantur; monstraturque quanta evitentur incommoda.

§. XXI.

Objectionibus respondetur; & quædam de ordine in tractandis causis præcipiuntur.

§. I.

Equidem pro Doctōratu, sive summis in Jure honoribus capessendis publicum exhibiturus specimen, ut in præfatiuncula dixi, De vera Juris natura & indole, ejusque legitima administratione, utpote hominibus utilissima, & omnibus cujuscunque publici Status civibus maxime necessaria agere decrevi. Qua in re generatim observanda veniunt: quid sibi velit Jus ejusque justa administratio: In quo consistat, tum objective quoad res, quæ ad jus pertinent, tum Subjective, quoad Viros hominesque, qui jus sunt dicturi, cum reliquis, quæ huc pertinent atque sunt cognata. Quæ singula specialius deinceps breviter sunt exponenda atque illustranda. Atque adeo heic primum, uti moris est, a Definitione est ordiendum; ipsiusque vocabuli, Juris videlicet, origo est elicienda; ut inde facilius pateat, quid veteres & recentiores, quoties juris & justitiæ fecerint mentionem, intellectum voluerint. Non itaque a justitia jus (ut voluit Ulpianus) sed a jure justitiæ, ut indicat Priscianus, derivatur. (a) Jus autem est nomen *πολύσημον*, & diversis modis sumitur; præcipue significat Moralém quandam facultatem, vel libertatem hoc vel illud ex arbitrio faciendi, huic vel illi homini concessam & propriam: significat etiam regulam actionum & sic a jubendo derivatur; ejusque correlatum est, obligatio, quum videlicet generaliter sumatur obligatio. In priori significato sequens sonat canon: Quilibet juri suo potest renunciare. Cui altera opponitur regula: nemo potest juri prohibitivo renunciare. Atque hac significatione pro lege jus est accipiendum. Et sic definiri potest mandatum Summi Imperantis, qui territorii est Dominus: vel lex publica auctoritate ita stabilita, ut nullis privatorum conventionibus mutari queat: atque ita cujuslibet

B

Rei-

(a) Vossii Ethym. p. 174.

Reipublicæ cives obligat, ut secundum ilam suas actiones institucere teneantur.

§. II.

Quoniam autem jus in justitia se exferat, de justitia sigillatim quædam agere convenit. Justitia itaque a jure (uti supra monstratum est), derivata considerari potest tam generaliter, ut universalis; quæ est obedientia erga omnes leges, omnesque in se complectitur virtutes. Quemadmodum Theognides adferit: *Ενδὲ δικαιοσύνη συλλήβδην πᾶσ' ἀρετῇ ἴσι.* Justitia in se virtutem complectitur omnem (b). Quam specialiter, cum particularis audiat, & pro diversitate Objecti variis insignitur nominibus. Particularem definit Simonides: Quod sit virtus suum cuique tribuens. Quam definitionem eleganter illustrat Lipsius: Justitia, inquit, suum cuique tribuit, Deo cultum, Regibus obedientiam, majoribus reverentiam, minoribus comitatem, oppressis tutelam, dubiis consilium, omnibus innocentiam (c) Particularis autem hæc justitia, ut paulo ante diximus, pluribus appellatur nominibus. Nam 1mo dicitur distributiva, quæ in distribuendo occupatur; ut singulorum remunerando merita, hos pro meritis muneribus præficiendo, illos dignitate & gloria ornando, alios præmiis afficiendo; & ejusmodi compluribus, quæ justitiæ subjiciuntur: ut operariis debitam mercedem tribuendo, pauperibus eleemosynam erogando, &c. qui sigillatim enumerare prolixius foret. 2do Punitiva, quæ delinquentibus pœnas justæ & adæquate infligit; ne delictorum atrocitatem pœnæ gravitas superet; vel nimis connivendo & indulgendo, pravis exemplis pessimi cujusque nutriantur scelera. Quod prius, videlicet nimium in puniendo rigorem, in priscais illis & paganis Germanorum sacerdotibus merito improbat Tacitus: Qui, inquit, in bello licitorum instar fontes puniebant

(b) Vers 147.

(c) In Epist. 97. Cent. 3. Miscell.

bant (d). Hoc autem posterius, videlicet immodica & intempestiva lenitas, ut in summis imperantibus, ita inferioribus Magistratibus maxime est nocivum; nimis enim indulgendo parentium inolescunt animi: Unde non modo in priscis Romanorum ducibus; sed alias etiam ubique in historiis, multæ sunt querelæ: quod nimis indulgendo corrupta sit disciplina, & pessima invaserit licentia, idque non in toga minus, quam in sago. Imperio non minus periculosa est nimia indulgentia, quam nimia severitas; namque si quis imperii Moderator sua ipsius ductus animi mansuetudine, vel negligentia & intempestiva misericordia in atrocissimis quibuslibet sæpius conniveret sceleribus: sine dubio ipsi accideret, quod de servis suis humanissimus ille queritur Junior Plinius: quod ipsa consuetudine mitiorum dominorum apud servos plerumque metus exolescat (e): Hinc illud ad regentes redundat mali, quod a subjectis facile contemnuntur; ita ut tandem ne volentes quidem in nocentes animadvertere audeant; nisi turbæ quædam inde sint extimescendæ. Haud itaque imitandus est Imperator Mauricius, qui decrevit nunquam subjectorum effundere sanguinem (f). Neque Anastasius, a quo nunquam puniebantur crimina (g). 3tio Commutativa, quæ in mutandis mercibus, aliisque vendendis vel coëmendis, distrahendis vel comparandis suam vim quam maxime exferit; heic enim iustitia nunquam æquitatis transgreditur limites, sed semper æquabilitatem sollicitè servat, nullo habito dignitatis, religionis aut meritorum respectu: huc spectat justum pondo, justa statera, justa mensura, justum auri & argenti pretium; ne qua scoria, vilius æs, vel aliud quid *ὑπόχαλκον* immisceatur, justumque nummorum corrumpat pretium &c. 4to Oeconomica,

B 2

qua

(d) De moribus Germ.

(e) Lib. I. Ep. 4. 4.

(f) Euagr. Hist.

(g) Vid. Fragment, Svidæ.



qua quis domum suam pietate & justitia regit; e. gr. bono exemplo liberis suis, familiæ, subjectisque servis præluendo, familiam honeste tuendo; atque in cunctis bonum justumque patrem familias agendo &c.

§. III.

Justitia Reginæ assimilata fuit, quæ majestate sua reliquarum virtutum chorum duceret. Coronatam veteres pinxerunt & finxerunt, fulgorem illum, majestatem & eminentiam, qua imprimis splendet, significaturi: Eandem regium manu sceptrum tenentem repræsentarunt; summam ipsius indicaturi potentiam, cui nemo, nisi qui cælum ipsum laceffere atque universæ reipublicæ salutem pessundare vellet, sese opponere auderet. Etiam dextra manu gladio armatam posuerunt; indigitaturi paratam esse ad puniendos illos, qui justitiæ & æquitatis leges violare niterentur. Ita etiam libram vel bilancem sinistra manu tenens conspicitur; quo sanctam illam & invictam juris constantiam indicatam voluerunt: quippe quod nulla ratione, nullo metu, avaritia, præjudiciis, odio, favore vel commendationibus, aut ejusmodi quibuslibet blandimentis corrumpi, moveri aut flecti; neque dextrorsum neque sinistrorsum unquam potest. Denique a veteribus velamine oculos obnubata fingebarur, significaturis, quam libera & vacua a studio partium esset, quam parum apud illam hujus vel illius dignitas & auctoritas valeret; quippe cum in omnibus suis actionibus, sive cum amicis vel inimicis, opulentis vel egentibus, junioribus aut senibus, magnis parvisve res sit, nihil prorsus, nisi merum æquum & justum semper & ubique respiciat.

§. IV.

Quisque facile potest animadvertere, quam necessarium jus sit, ejusque justa administratio. Si modo semet ipsum homo considerare velit, exclusive, ita ut nullum omnino ad reliquos homines habeat respe-

respectum; cogitet se in deserta aliqua insula, vel solitudine ab omnibus destitutum, circumspiciat quid opis & tutaminis a semetipso habeat sperandum, suas solius vires contempletur & experiatur; frangentur sane altiores illi spiritus, quibus vana mens humana & inania capita nimia & temeraria sui fiducia saepe efferuntur, & facile animadvertet, quam imbecillis & infirmus sit sibi relictus, ad vitam suam, libertatem & opes defendendas: nedum, si inimicos homines, acerrimos hostes, circum se habeat. Quisque fateatur necesse est, ipsius defensionem non sui esse operis; sed aliunde proficisci; atque inde felicem semet ducturus est & beatum, quod in humana societate tribunal aliquod est erectum, sedes justitiae. Quae ad singulorum civium accipiendas querelas prompta est & parata, quae generis nobilitatem, aliam quaecumque dignitatem, & ejusmodi omnia susque deque habens, omnes opis, defensionis & tutela indigentes, & illam implorantes, excelso & robusto brachio contra quosvis vel potentissimos hostes tuerur & ab injuria vindicat. Quale, quaeso, civitatis futurum esset fatum; nisi cives justitia defenderentur? A vitis virtus opprimeretur, robustissimus quisque id suum esset judicaturus, quod viribus ad se posset rapere: vis & tenuiorum oppressio laxatis frenis latius se diffunderent: intestina evanesceret securitas: civis sui concivis futurus esset spoliatus: atque ira nullum malorum genus unquam cessaret; sed quaevis luctuosa gliscerent, quamdiu solis viribus civium dirimendae forent contentiones. Vitae igitur & bonorum aeneus quasi murus sit justitia; ut quisque honeste acquisitis & suo juri possessis quiete fruatur, nec ab extrinseca quadam turbetur injuria; sed victum suum securus quaerat, ceterasque hujus vitae necessarias juxta ac jucundas commoditates. Hinc enumerari nequeunt commoda, quae secum fert justitia; innumera sunt beneficia, quibus omni tempore mortales large & benigne donat & beat.



summa est formidini: merito dici potest firmissimum propugnaculum ad arcenda vitia: pessima dissipat scelera, & mortalium frenat & coërcet temeritatem: vim prohibet & oppressionem, innocentiam vindicat; virtutem remunerat, atque publicæ securitatis optima est vindex. Paucis, inestimabile est bonum, qua nemo potest destitui, nisi cum illa omnis pax, quies & tranquillitas simul exularet & omnino periret; namque breviter: Sustinet Chorum, forum & thorum.

§. V.

Uti vero jam sine ulterioribus ambagibus ad Juris explicandam administrationem accedamus. Observandum est jus administrare idem esse, ac jus dicere, judicium facere, dare, exercere, judicio decernere &c. Atque adeo juris administratio est legum & justæ vindicatio & exercitium: Quo cuncti non modo ita candide & sancte conservantur, ne qua in re aliquam injuriam patiantur, vel injuste quid ipsis detrahatur; sed e contrario quoque quisque jus suum obtineat, & quævis injuste facta debitam luant pœnam, ut ita contingat & conservetur publica civitatis tranquillitas. Finis ita & effectus Juris administrandi est civitatis securitas; tum respectu vitæ civium & honoris, tum respectu facultatum, libertatis & quicquid jure ad unumquemque pertineat. Fac enim in republica negligi, nec, ut par erat, componi enatas inter cives rixas & contentiones; facile in apertam vim & injuriam res abiret, & quisque sibi id violenter, quod jure nequireret, vindicare conaretur: Quod sane, uti supra monstratum est, innumera pareret incommoda, & humani generis sortem longe redderet miserrimam. Alias fatendum quidem est; quod si datum fuisset, ita invicem vixisse homines, ut justitiæ & æquitatis leges semper sancte servassent; defuturum fuisset, quod caram inter illos pacem conturbasset: Nisi dementer adeo rupissent vincula, quibus, ut homines erant conjuncti, nulla utique inter ipsos locum habuisset

buisset discordia, Sed, ut taceamus ipsam mortalium naturam peccato esse corruptam, cum multiplicarentur homines, simul necessitates multiplicabantur; duobus eadem re opus erat, nec nisi unus ejusdem poterat potiri. Hinc nata est invidia, violentiæ & injuriarum genitrix: quibus coërcendis, & quantum fieri posset, removendis certa reperiunda erant remedia. Inde cæptum est legum & Magistratum auxilia implorare, quibus humanæ cupiditates intra certos continerentur limites, ut inde fluentes turbæ & perversitates impedi-
 rentur. In hoc itaque tota juris sita est administratio; quæ adeo legum & Magistratum opera, de quibus infra specialius est agendum, inventa est & continetur.

§. VI.

Si deinde perpendimus, quid præsertim ad jus administrandum requiratur. Primo & præcipue, ut paulo ante dictum est, leges requiruntur, eæque præsertim civiles; sic dictæ, quia sunt regulæ & normæ, secundum quas homines in civitate, seu humana societate mores suos componere tenentur, & quibus, legibus nempe, nullum destitui potest imperium vel respublica; cum publica promoveri nequeat salus, nisi certis regulis & ordine cuncta gerantur. Naturalem heic paucis tantummodo attingam legem; cujus principium essendi est divina voluntas; ejus principium cognoscendi est socialitas, vel communis hominum obligatio, vel debirum pacem & tranquillitatem conservandi, quod divina consentaneum est voluntati. Eo respectu celeberrimi illius Domini Montesquieu verba sum allaturus: La loi en general, est la raison humaine, en tant qu'elle gouverne tous les peuples de la terre, & les loix politiques & civiles de chaque nation ne doivent être, que les cas particuliers, ou s'applique cette raison humaine (h). Cætera alias etiam taceam leges, præter civiles: qua
 com-

(h) L'esprit des loix, Liv. I. Chap. 3.



communis reipublicæ salutis gratia, urgente necessitate, latae sunt & introductæ, ut civibus in actionibus suis generalis sint regula. Seneca dicit alicubi: Scimus legem justæ atque injustæ esse regulam. Antiquissimis temporibus nullas homines habuerunt leges, præter naturalem illam, & quædam a majoribus introducta & posteris tradita instituta Moses primus Ebræorum erat Legislator, Ægyptiorum Prometheus, Atheniensium Solon, Spartanorum Lycurgus, Romanorum Numa Pompilius. Ut alias mittam gentes; Dania etiam & Norvegia suos antiquissimos habuerunt Legislatores; nec illos parvi nominis. Ab exoticis etiam Scriptoribus ante complura Secula Haraldo Gormi filio Regi Daniæ, quem Magnum vocant & Christianissimum, ea laus tribuitur, quod leges & jus fundaverit, non Danis modo; sed Saxonibus quoque cis & ultra Albim habitantibus; item Frisii: quas cuncti religiosissime servarunt & vindicarunt. Quum vero leges antiquitus magis in civium memoria constarent, quam literis essent mandata, & suis continerentur voluminibus, Gloriosissimi Daniæ Reges Valdemarus Magnus & Victoriosus singulis regni sui terris suas concinnari curarunt leges, quibus regerentur & judicarentur (i). Eadem gloria antiquis Norvegiæ Regibus debetur; atque inter primos, quantum liquet, Haquino Adelsteinio, post illum Magno Haquini filio præcipue: qui quoniam præcedentes Reges in emendandis & augendis legibus superaret, egregium illud sibi peperit cognomen, quod legum vocaretur Auctor & Emendator, prisca Norvegiæ lingua, *lagabæter*. Docent alias historiæ Romæ olim acrem inter patricos & plebejos extitisse contentionem; quum hi postremi vehementer urgerent, ut fixæ ferrentur & scriberentur leges; ne quæ ferrentur sententiæ, ex quorundam hominum mera voluntate & arbitrio penderent. Quorum postulatis Senatus tandem post multas gravesque alterca-

(i) Vid. Diploma in limine legis Christi. 5ti.

altercationes cessit (k). Quem in finem Athenas tres missi sunt Legati, qui excerptas inde Atheniensium leges accerferent, quas ipsis sapientissimus ille Solon condiderat (l). Hi redeuntes legati petitas leges secum auspicato attulerunt; quæ in decem distributæ sunt tabulas; quibus deinde duæ alteræ Decem virorum consilio sunt additæ: hinc omnes hæ leges duodecim æneis incisæ sunt tabulis; jurejurando confirmatæ, & deinde sanctissimè servatæ.

§. VII.

Legum necessitas fuit ex utilitate; quam in qualibet regiminis forma, seu republica, bene juste & sapienter promulgatæ leges secum afferunt. Stultissimus foret, qui nullius in civitate utilitatis leges esse putaret. Unde valde deliravit vetus ille Philosophus Demonax, qui inutiles in civitate leges esse docuit, insulsam hanc afferens rationem; quia bonis illis non est opus, nec mali eisdem emendantur (m). Quod si enim legibus non emendarentur mali, eisdem tamen in tantum frenantur & coercentur, ne deteriores reddantur; faciuntque, ut pravi ipsorum mores certis circumscribantur limitibus, juxta tritum illud: Oderunt peccare mali formidine pænæ. Leges itaque civiles non sunt rejiciendæ. c. Socinum, qui eas antiquari voluit (n). Nam immota semper manet veritas, leges in civitate non utiles minus, quam necessarias esse; ipsasque leges, si modo rite servantur, regna firmare & in exoptatissimo flore conservare. Quod in causa est, cur dicat Justinianus: Imperatoriam majestatem non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportere esse armatam, ut &

C

&

(k) Thom. in nævis Jurisprud.

(l) Liv. Lib. 3. cap. 31. confr. ibid. cap. 33.

(m) Erasm. 8. Apophthegm.

(n) Vid. Smalcii Dissert.

& bellorum & pacis recte possit gubernari (o). Ipsi consentit Horatius, cum in Augusti laude ita canat: Res nostras armis tuteris, moribus ornes, legibus emendes (p). Sublatis legibus in humana societate nunquam securi degerent homines; ita ut legibus merito acceptum ferant, quod ipsorum vita, honor & bona conferrentur: Namque a vita nostra homicidæ & latrones legibus arcentur, a libertate violenti, ab honore obrectatores & calumniatores, ab opibus fures & impostores. Legum beneficio pax alit, bellum non frangit; denique legibus Dei gloria, quod est præcipuum, reipublicæ salus & civium publica felicitas promovetur. Hinc veteres leges cum anima in humano corpore sapienter comparaverunt; namque sicuti corpus anima destitutum consistere nequit; ita etiam nullum regnum, nulla civitas, nulla domus sine legibus consistit. Unde etiam apte sonant Regis Valdemari verba in lege Cimbrica: Lege terra colitur & incolitur, item si qua regio legibus privaretur, plus haberet, qui plus raperet (q). Huic consonat, quod Haquini, Haquini filii, Norvagiæ Regis lege (vulgo dicta *Frostetings lov*) dicitur: Legibus terra nostra est colenda, sed non licentia perverfoque & perturbato ordine feris relinquenda bestiis; & si quis alteri suum jus invidet, ipse indignus est, qui suo ipsius jure fruatur (r). Sicut etiam sonat Diploma legi Chist. 5ti præfixum: quod si unusquisque hominum animo esset integer, suoque & suo jure contentus vivere vellet; nec proximi damnum quæreret; sed idem ipsi jus concederet, quod ipsi similibus implicitum casibus impetrari cuperet, supervacaneæ leges forent: Ideo autem leges sanciantur, ut suo jure integri animi scelerisque puri & pacifici homines fruantur, & quo contra perverfi & pacem

(o) In Præfat. Institut.
 (q) In Præf. ejusd. legis.

(p) Lib. 2. Ep. I. v. 2.
 (r) Part. I. Cap. 6.

pacem exosi, qui juri justis legibus præscripto morem gerere recu-
sant, pœna legibus dictata ab inferenda injuria prohibeantur.

§. VIII.

In dicendo jure una cum legibus Magistratus requiritur: quæ est potestas a Deo data, ut ei subsit omnis anima ad Dei gloriam & hominum tranquillitatem (s). Ab hac potestate ferendæ sunt leges, quarum in præcedenti §. facta est mentio. Hic igitur Magistratus dicitur, & est, Magistratus Legislatorius: qui in forma Imperii Monarchica est Summus Imperans; in Aristocratica autem & Democratica illi, in quibus imperii majestas & potestas residet, quibus a Summo Numine populi concredita est salus. Quorum itaque est officium populum quam felicissimum reddere; quod in ferendis & diligenter exsequendis salutaribus legibus optime obtinetur. In duodecim ergo Tabularum legibus hæcce notatu dignissima leguntur verba: Utilitas publica suprema lex esto. Huc pertinet etiam sapientissimum illud Regis Jacobi Primi in Oratione ad Parlamentum Anglicanum. Semper, inquit, bonas ferendo leges & Constitutiones, publicam utilitatem & totius Reipublicæ salutem sum promoturus; idque mei ipsius etiam commodi gratia: cum persuasus sim totius Reipublicæ utilitatem meam esse propriam; atque eo demum a Tyranno bonus & justus Princeps dignoscitur. Quemadmodum igitur legibus & Constitutionibus subjectorum accurate determinanda sunt officia; ita etiam in eisdem legibus ea Principis erga subiectos deprehendatur æquitas, moderatio, & sensus quidam fortis etiam tenuiorum & infirmorum; verbo, paterna illa in omnes caritas; quam in regenda familia probus & prudens prodit paterfamilias. Quibuscunque consiliis & artibus injuriæ & tenuiorum oppressioni occurritur; eisdem etiam totius regni promovetur & firmatur felicitas. Atque sicuti bo-

(s) Rom. 13., seqv.

nus Princeps eum sibi semper finem debet habere propositum, ut salutaribus legibus gliscentia vitia coërceat atque prohibeat; atque ita Virtutem & Justitiam alat, roboret & vere florentem reddat: ita etiam non minus interest, ut pœnarum terrore & præmiorum incitamenti ad ea, quæ in legibus jubentur, præstanda subjeçti instigentur. In regendo etiam se populi præsent amicos; ne in nimiam severitatem vel Tyrannidem justitia degeneret. De quo sequenti §. pluribus agetur. Requisita legis civilis vel generalia sunt; quod scilicet debeat esse honesta, possibilis, utilis: vel specialia, quod loco & tempori debeat esse conveniens &c. Omnia hæc requisita in Danicis nostris Norvagicisque legibus a Christiano Qvinto (Gloriosissimæ memoriæ) latis & a sequentibus Gloriosissimis optimisque Regibus justissime juxta, ac sapientissime adauçtis perfectissime deprehenduntur. Unde etiam omnis illa laus; quæ ab aliarum etiam gentium scriptoribus eisdem tribuitur, merito ipsis debetur. Ab ipso etiam Molesworthio, nomini Danico infensissimo sua ipsis denegari nequit prærogativa. Quanto, quæso, encomio illas prosequitur Baro de La Hontan, cum dicat: Tam esse justas, quam si ab ipso dictata fuissent Paulo Apostolo. Alias, uti ferendarum & faciendarum legum potestas solis Imperantibus est propria; ita eisdem licet a se latis leges, urgente necessitate & certis circumstantiis, mutare: cum humani ingenii ea sit imbecillitas, ut raro statim perfectum quid & omnibus numeris absolutum invenire queat, aut constituere; & si vel maxime initio esset perfectum, tractu tamen temporis ita commutari potest rerum status, ut in antea bene latis & institutis legibus quædam exposcatur mutatio. Quamobrem recte Lockius, De imperio Politico: Multi, inquit, dantur casus a Legislatore non prævisi; qui necessario ejus relinquendi sunt arbitrio, qui ad imperii fœder gubernaculum; quo prudenti aliqua constitutione communis societatis felicium

tas promoveatur. Huic ergo defectui mederi possunt edicta; quæ sunt Imperantium mandata, solum in finem data, ut cum lege pari passu ambulent. Non autem sapius, ut dicit Buddeus, mutandæ sunt leges; imminuitur enim ita & legum & imperantium auctoritas, est enim incerti & fluctuantis animi indicium semel decreta & sancita mox revocare; minusque obsequii sperandum, ubi obsequium dissolvitur: & quod in una lege fit, id in cæteris fieri aut posse, aut debere populus sibi persuadet. (t)

§. IX.

Requiritur autem, ut summus Magistratus, quem hactenus ut Legislatorium consideravimus, simul sit Judicarius Magistratus, quo leges, uti par est, vindicentur: & sic alia phrasi cogens & puniens potestas potest appellari. In quo præcipue observandum venit, quod quemadmodum legislatorius Magistratus suam vim quam maxime jubendo exferit; ita Judicarius cogendo & exsequendo. Cujus itaque tanta debet esse potentia, ut potentissimos adigere possit, ut legibus sese submittant, eisque morem gerant; nam sine tali potentia nequaquam jus potest consistere. Cum potestati Legislatoria cogendi conjuncta sit potestas; non sufficit imperantibus jus civiles faciendi leges, accedat etiam jus judicandi legesque vindicandi. Hoc postremum nominatus Lockius vocat, pouvoir executif, prius pouvoir legislatif. Non possumus nobis imaginari unum virum, vel plurium conjunctum aliquod Collegium, cui altera harum competeret potestas, exclusa altera. Opus est imperio potestate, non solum ad confirmandas regulas, quibus communis utilitas promoveatur; sed etiam ad cogendum, ut eisdem regulis obediatur. Namque nequaquam sufficit ab imperio præscribi leges; etiam inquirendum est, utrum legibus subjectorum respondeant actiones, necne, quare judicandi etiam

præditum sit potestate. Quo facilius & certius quis in republica scire possit, sub quo jure & obligatione vivat, quamque secutus sit actionem, & consequenter, quo accuratius omnes civiles actiones, earumque ad ipsam rempublicam relationes scriptis determinatæ sunt legibus, quo certiores esse possumus hæcæ leges impleri, & secundum illas solas æstimari & judicari actiones: eo major futura est civium securitas. Hinc vere dicit Antimachiavellus: gentes ad suam ipsarum tranquillitatem & sustentationem necessarium intellexisse, Judices esse creandos, a quibus enatæ inter ipsos contentiones, lata sententia, componerentur. Atque paulo post: Princeps, inquit, non est nisi supremus inter suos Judex (u). Judicans & puniens potestas (ut elegantis cujusdam ex nostratibus scriptoris utar verbis) essentialis societatis pars est. Si justitiæ thronus inviolatus consistat, si non prorumpant cupiditates, si ab injuriis tuti sunt tenuiores, si beatiores invidiam rideant; haud aliunde est derivandum, quam quod periculosum sit leges violare, & quod talis in societate sit potestas, cui contradicere & sese opponere nemo impunè potest: Tales sunt Imperantes & Magistratus. Qui nisi essent, leges deficerent, abesset metus injuriam inferendi, omnis pax & securitas exularet. Item Legislator auctoritate destitutus, Magistratus puniendi potestate privatus, qui omnes suas actiones ad ventosâ plebis compositurus esset arbitrium: qualia somnia! quæ illi autem somniantur, quibus invisi sunt Superiores. Quod si ex ipsorum desiderio res gererentur, quam subito illos ulciscerentur, qui hæcenus ipsis summo fuerant terrori! (x)

§. X.

Postulat alias non modo ipsa justitia; verum etiam reipublicæ bene & salutariter regendæ ratio, ut pœnæ summa circumspectione & justa

(u) Antimachia V. Cap. I.

(x) Rothe. De amore in patriam.

justa proportione sint dictandæ & exsequendæ: Nam tempestive & non intempestive supplicium sumat Magistratus, & in pœnis civilibus hæc sunt observanda, quod semper ad utilitatem, cum prius totius reipublicæ sit respiciendum; ideo enim Imperanti facultas puniendi concessa est, ut ad utilitatem & salutem reipublicæ eadem uteretur. Nec omnes actus pravi subjectorum puniri possunt, sed illi tantum, qui ut puniantur civitatis interest. Quoad proportionem inter pœnam & delictum cum primis etiam respiciendum ad damnum, quod inde redundat ad totam civitatem; ut quo majus hoc sit, eo gravior etiam puniatur delictum. Præterea Summus Imperans tum demum veniam impertire potest, si utilitas & ratio civitatis hoc sudeat, aut permittat; nec pœna legibus divinis universalibus sit definita (y). Quum autem de proportione pœnæ cum delicto agamus; & multa delinqvuntur, quæ non adeo sunt gravia, ut reipublicæ sit utile, eadem virgis vel securi vindicari; etiam in quolibet bene ordinato regimine invenimus talia leviori quadam pœna; utpote infamia, vel pecuniæ aliqua multa, bonorum publicatione & similibus fuisse expiata. Unde in Romana illa tam egregie instituta republica, ad coercendum luxum & profusionem; in Optimatibus præcipue, ordine videlicet Senatoria & Equestri hanc initam legimus rationem: Censor, qui quinto quovis anno plerumque creabatur ad inspiciendos hominum mores, cum aliquem deprehenderet, qui facultates suas minuisset, vel turpe quid summo illo ordine indignum designasset; præterito illius nomine solo illo silentio Senatu movebat, vel alia quadam ignominia notabat: ita etiam cum eqves simile quid commississe argueretur, in porta sedens Censor: vende equum dicebat; atque exemplo equestri dignitate erat privatus. Sed respectu multæ pecuniariæ perpendendum forte, utrum omnibus pro pari delicto æqualis pecuniæ multa

(y) Budd. Phil. Pract. Cap. IV. S. 13.

multa sit diſtanda, an tenuioribus minor, major opulentiſſimis. Cum omnis pœnæ finis in civitate ſit, ut eo paſſionis malo omnes ab inferenda injuria, fœdisque quibusvis moribus deterreantur; ille finis apud divites exigua multa nou videtur poſſe obtineri, cum facultatibus abundantes parvum videant detrimentum: E contrario exigua contumelia diſtioribus, ut vulgo magis ambitioſis, ſufficere videtur. In pœnæ determinanda proportione admodum diſſimiles hodiernis Japonibus præſti erant Germani. Nam bellicoſiſſimi illi homines, non niſi pecuniariam volebant pœnam, exiſtimantes nobilem illum Germanicum ſanguinem non niſi in bello & armis eſſe effundendum. Nimis contra durum eſt, quod de imperio legimus Japoniæ; videlicet quod cuncta fere crimina ibi mortis ſupplicio vindicentur; quod tanto, Japonico nempe Imperatori, non obedire atrociffimum aliquod nec ferendum crimen exiſtimatur. Utuntur eo etiam prætextu; quod pecuniaria pœna a divitibus ſæpius eludatur (z). Nec mitiores erant illæ ab Athenienſi illo Legislatore Dracone latæ leges; quibus jubebatur, ut minima etiam delicta, ut verbi gratia pomi furtum capite luerentur: quæ immanis aſperitas in cauſa fuit, cur in ipſum publica oratione tam acriter invectus ſit Demades, dicebat enim illas Draconis ſanguine eſſe ſcriptas, uti refert Plutarchus: qui rem ipſam diſerte narrat, inquiens: *Καὶ τὰς λαχὰν κλέψαντας, ἢ ὅπῃ ὁμοίως κολαζέσθαι τοῖς ἱεροσύλοις καὶ ἀνδροφόνοις* (a). Longe conſultius faciunt, qui verum hic ſervant temperamentum, ut pœna delictis reſpondeat & juſtiæ ubique fatiſiat. Sapientis Legislatoris in ejuſmodi caſu prudentiam eleganter nobis proponit Dominus Montesquieu: Un legiſlateur ſage auroit cherché à ramener les eſprits par un juſte temperament des peines & des recompensés; par des maximes de philoſophie

(z) Vid. Kämpfer.

(a) Vid. Plutarch in Solone.

phie, de morale & de religion assorties à ces caractères; par la juste application des règles de l'honneur; par le supplice de la honte; par la jouissance d'un bonheur constant & d'une douce tranquillité. Et s'il avoit crain, que les esprits, accoutumés à n'être arrêtés que par une peine cruelle, ne pussent plus l'être par une plus douce, il auroit agi d'une manière sourde & insensible, il auroit dans les cas particuliers les plus gracieux, modéré la peine du crime, jusqu'à ce qu'il eût pu parvenir à la modifier dans tous les cas (b).

§. XI.

Cætera de Magistratu hoc generaliter ut necessarium quid & juris legitimam administrationem pertinens est notandum; ne peccet in leges a se ipso datas. Sicuti enim civilibus legibus obediri, summo reipublicæ interest, videlicet, ut lætæ leges sancte servantur; ita ipsi Imperantes ad illas servandas plurimum conferent momenti; si sua sponte ad leges a se lætas suas actiones componant; atque ita civibus præbeant exemplum: exemplo enim plus, quam gravissimis pœnis proficitur. Principis mores ut plurimum imitatur populus. Boni ad virtutem magis alliciuntur, mali a vitiis deterrentur, & veluti per consuetudinem tandem boni fiunt. Solem ubi diffudit suos radios in convexa quædam vitra, ex congregatis radiis ignem elici notum est. Idem in Principe obtinet. Radii Principis subjeetorum movent & accendunt animos. Porro a solis lumine cuncta colorem accipiunt; ita Princeps suo exemplo Virtutis colorem, vel vitiorum sibi subjeetis tanquam publico quodam sigillo imprimit. Iustus & bonus Princeps non sibi minus, quam civibus credit incumbere, ut legibus obtemperet, quum non ignoret, quantum in subjeetorum animos influxum habeant Principis mores; cum non sine causa tritum sonet proverbium:

D

verbum:

(b) L'esprit des loix. Chap. 13. L. VI.



verbiūm: qualis rex, talis grex. Item. Regis ad exemplū totus componitur orbis. Hinc cordate scribit Plinius: Vita Principis centura est, eaque perpetua, ad hanc regimur, ad hanc convertimur, nec tam imperio nobis opus est, quam exemplo; quippe infidelis recti magister est metus (c) Huc etiam respicit Quintilianus, cum dicat: Hæc superiorum est conditio, ut, quicquid faciant, præcipere videantur, & perniciosissimus est malæ rei maximus quisque auctor. Multa in historiis notatu dignissima occurrunt regnantium exempla, non eorum modo, qui summo zelo semet ipsos ad leges, quas parentibus normam præscripserant, componere studuerunt; sed illorum etiam, qui easdem neglexerunt, & violare parvi duxerunt. Ad hos pertinet L. Sylla, qui dictans legem de funerum sumptibus, eandem in funere conjugis transgressus est. Idem fecit Nero in condendis legibus de cavendis exquisitis cibis. In sacris etiam legimus Saulum regem ariolos & magos primo interfecisse, postea magam ipsum confuisse. Pericles Atheniensis civis leges de jure civitatis adeundo ipse refixit. Quod ad illos autem, quibus leges suæ sanctæ fuerunt, rarum & profus admirandum exemplum est Locrensium ille Legislator Zaleucus. Hic cum aliquando edixisset, ut adultero deprehensio uterque oculus effoderetur; accidit ei quiddam, quod minime expectarat. Nam filius ejus in adulterio deprehensus pœnam a paterna lege statutam luere debebat: Ibi ne quod semel omnium sententiis confirmatum erat, irritum fieret, ipse pro altero filii oculo sibi alterum eximi jussit; ne profus cæcus fieret adolescens (d). Hinc ille versus

Sanxerit & Locris dederit quæ jura Zaleucus (e).

Sæper-

(c) Plinius ad Trajanum.

(d) Cic. de legib. cap. 6. Ælian. Hist. Var. 13. 24.

(e) Aufon v. 23.

Supervacanea heic ulterior foret prolixitas in re tam aperta & omnibus notissima; itaque hunc clausurus sum aphorismum huc spectantibus Theodorici verbis in quibusdam ad Romanum Senatam literis: Facilius est, inquit, errare naturam, quam ut dissimilem sui Princeps possit formare rempublicam (f).

§. XII.

Si jam porro in tractanda, quam proposuimus, materia pergamus considerandi veniunt Supremæ potestati subjecti Judices; quibus Imperium judicandi concedidit officium, & qui a Supremo Magistratu legitime sunt constituti, ut quæcunque ad ipsorum pertineant judicia, rite absolvant, latasque exsequantur sententias, nisi ad superius aliquod Tribunal provocetur. Ejusmodi etiam Judices necessario requiruntur; quia causæ diligenter sunt excutiendæ & cognoscendæ verumque inde eliciendum: quod ne ab ipsis fieri queat imperantibus, temporis locique ratio, atque multa alia impedimenta prohibent. Hinc Buddeus. Facultas judiciaria, quæ ab aliis jurisdictio vocatur, tum ab ipso Imperante; sed independenter, tum a Magistratibus inferioribus; sed dependenter exercetur; unde & sequitur, quod tantum a Magistratibus inferioribus: non autem a Summo Imperante provocari ad alium Judicem possit (g) priscis temporibus non adeo multæ dabantur provocationes in re forensi; hæ enim cum romano jure, quantum liquet, præcipue natæ sunt. Quamvis Regibus jus esset judicandi, raro tamen ipsi judicabant; sed ejusmodi, juris exercitium aliis inferioribus Magistratibus demandarunt. Romæ etiam erant judices, qui non erant ipsi Magistratus, sed a Magistratibus, Prætores præsertim, dati; pro causarum ratione plures paucioresve, qui numero majore suffragiorum sententiam ferebant,

D 2

quam

(f) Cassius Lib. 3.

(g) Phil. Pract. P. 2. Cap. 4. Sect. 13. §. 25.

quam exsequebatur Prætor. In hisce septentrionalibus regnis vetera docent monumenta, certos viros ad judicandum fuisse constitutos; qui tenebantur leges, quatenus suppeterent, pro norma habere: & sicubi deficerent, æquitatem. Hujus rei testis præcipue est Norvagici Regis Haquini, Haquini filii, lex, vulgo dicta *Frostetings Lov*: Ubi exstat viros denominatos judices, vulgo *Laugrettis Mænd*, inter litigantes judicare debere; in iis causis, quæ ad illud forum legis jussu erant provocatæ: ita enim ipsius legis verba sonant. Porro in iis casibus; ubi in lege nihil expresse est determinatum, illud in quacunque causa valebit, de quo omnes consenserint, quodque in conspectu Dei rectum justumque judicaverint. Etiam olim certis locis majoris momenti causæ, præcipue cum vita famave periclitaretur, ad publicos provocabantur conventus. De quo Tacitus ait: Licet apud concilium accusare quoque & discrimen capitis intendere. Hodie sicuti legum civilium, ita etiam litium & contentionum crevit numerus; quo magis necessarii sunt certi judices a Summis Imperantibus instituti, qui regnantium nomine inter litigantes judicaturi sunt cives, atque justum & rectum, uti par est, in regno sunt vindicaturi.

§. XIII.

Præter auctoritatem judicandi homini legitime concessam requiritur etiam: idque imprimis, ut ipse vir judiciario functurus officio, quoad habitum obeundo muneri satis sit idoneus. Atque cum in anima humana duæ primariæ sint facultates, Intellectus videlicet & voluntas, ut ad utrumque sit excultus & emendatus, necesse est. Quoad Intellectum, ut adæquata instructus sit juris & legum scientia, sive ut vulgo audit, jurisprudentia. Cujus duo generalia sunt requisita: scilicet 1mo solida & non superficialia legum atque omnium, quæ ad juris salutarem administrationem pertinent, notitia; sive adæquata juris Theoria. 2do accedat non penitenda Praxis; ita ut omnia, quæ

Theore-

Theoretice recte noverit, in quibuslibet civilibus 'occurrentibus casibus rite applicare didicerit. Ut autem solida prius contingat Theoria & juris scientia, summa juris cultori danda est opera, ut de omnibus Ideam habeat claram, distinctam & adaequatam; ne qua in re ipsi pro veritate veri imponat species; nullus enim error humanae menti pernicius inhaeret, quam qui perversa inculcatus est meditatione, atque ille ipsa longe deterior est ignorantia. Ast opus est etiam in jure dicendo praxis & experientia: ut, quemadmodum diximus, ea, quae recte sunt percepta, rite applicentur. Legum enim objectum sunt hominum actiones, quatenus considerantur ut justae vel injustae, id est, legibus conformes vel contrariae. Cum vero jurisprudentia sit divinarum atque humanarum rerum notitia, justae atque injustae scientia: Ut eam definit Ulpianus (h) & occupata sit in legibus recte intelligendis & applicandis: necessarium utique est judici, ut non modo necessariae leges ex amussi noscat; sed etiam promte quasvis Ecclesiasticas & civiles contentiones ad legis normam queat explicare, justamque ferre sententiam. Itaque primo in quavis causa exposcitur, ut verum a falso, justum ab injusto dignoscatur: Atque si quid adeo occurrat obscurum & intricatum, ut manifesta veritas elici nequeat; ibi verisimillimum quodque prudenter est sequendum. Non enim frustra dicit Cicero. Domus Jurisprudentis est oraculum totius civitatis (i). Veritati conformis esse debet, quamcunque judex pronuntiet sententiam: heic autem non vulgari opus est ingenio. Inter requisita Judicis prima & primaria est ponendum, quod debeat esse emunctae naris homo, eaque in jure scientia & experientia instructus, qua officio fungendo par esse queat: quodsi cum morum honestate

D 3

con-

(h) Lib. 10. f. de Just. & Jure.

(i) Cicero, de Orat.



conjunxerit, non potest non serio & sedulo rem tractare. Hinc Ovidius acute ait.

Judicis officium est, ut res ita tempora rerum quærere (k). Singula autem, quæ ad causam pertinent; & cum ea necessario sunt conjuncta, anxie animo sunt volvenda & perpendenda; atque adeo negotii circumstantiæ recte sunt explorandæ. Causam, quam nesciebam, dicit Jobus, quam diligentissime investigabam (l). Prudens itaque judex debet audire prius causam, non ex rumore judicare. Hinc injustissimum semper, ut a Romanis, ita a quibusvis humanioribus gentibus est habitum, aliquem indicta causa damnare. Summum autem Summi Numinis imitandum est exemplum: Namque Adamum audiit prius Deus, quam sententiam ferret (m). Atque quantumvis in omnibus omnino causis judici summopere opus est attentione & circumspèctione; in rebus tamen majoris momenti maxime est necessariam. Hinc hoc respectu Celeberrimus ita differit Montesquieu: Dans une Monarchie, l'administration d'une justice, qui ne decide pas seulement de la vie & des biens, mais aussi de l'honneur demande des recherches scrupuleuses. La delicateſſe du juge augmente à mesure, qu'il a un plus grand depôt, & qu'il prononce sur de plus grands interêts (n). Deinde legis normam strictè sequi debet inferior Judex; nec quicquam extra ejusdem præscriptum decernere, ne ibi quidem, ubi severius videatur esse mandatum: namque non nisi ministerialiter legis verba pronuntiat. Hinc iterum Montesquieu: Il pourroit arriver que la loi, qui est en même temps clairvoyante & aveugle, feroit en de certains cas, trop rigoureuse. — Mais les juges de

(k) Trist. L. 1. Eleg. 1. v. 37.

(l) Job. 29. v. 16.

(m) Gen. 3.

(n) L'esprit des loix. L. 6. cap. 1.

de la nation ne font, comme nous avons dit, que la bouche, qui prononce les paroles de la loi; des êtres inanimés, qui n'en peuvent moderer ni la force ni la rigueur. C'est donc la partie du corps législatif, que nous venons de dire être, dans une autre occasion, un tribunal nécessaire, qui l'est encore dans celle-ci, c'est à son autorité suprême à moderer la loi en faveur de la loi même, en prononçant moins rigoureusement qu'elle (o). Magna igitur est differentia inter Judicem & Doctorem Juris. Illi non licet leges examinare; sed illas tantum in obviis casibus applicare, securus sit ne huic vel illi lex interiori quodam Legislatoris affectu amplius quid juris præ reliquis concessum: Namque non ejus est partium excutere, sint ne leges bene latae, nec ne; sed solummodo secundum illas sententiam ferre debet. Unde illud Axioma: Judex potest damnare, Rex absolvere. Item: Hominum conscientiam legis conscientia superat. E contrario Juris Doctori non est negatum in Cathedra disquirere, sintne leges aequae an inique promulgatae. Nam cum demum in finem obscura quævis in Academiis disceptantium committuntur disquisitioni, ut rite ponderatis, quæ hinc & illinc queant regeri & opponi, ipsa tandem veritas luculenter patefeat.

§. XIV.

Quemadmodum jam superiori §. de priori animæ facultate, Intellectu videlicet, speciatim egimus; quibus dotibus eo respectu instructus debeat esse judex, qui suo nomini, uti par est, velit respondere; ita nunc sequitur, ut de altera mentis facultate, Voluntate scilicet, similiter disseramus. Quoniam autem præcipua & summe necessaria Judicis qualitas est rectitudo voluntatis; si enim a recto & justo deflectat judex, regula esse definit: haud abs re fuerit, quatuor illas accuratius perpendere passiones, quibus animi judicium subvertitur.

(o) L'esprit des loix Liv. XI. Chap. 6.



titur. Sunt autem 1mo Timor superioris alicujus. 2do Avaritia, cum præmio & munere judex corrumpitur. 3tio Odium contra personam. 4to amor, quo amicis & propinquis placere contendimus. Quæ omnia coram Deo detestanda & abominanda sunt vitia; in Judice præcipue, qui tanquam coram Deo suum gerat officium; secundum sanctum illud S. Scripturæ dictum: Ubi ita Judices alloquitur pius ille Rex Josaphatus. Videte quid faciatis; non enim in conspectu hominum, sed Dei, judicium, exercetis, & ipse vobiscum est in judicii negotio. Itaque timor Dei vos nunc gubernet, cavere vobis & hoc facite, neque enim injustum quid est apud Dominum Deum nostrum, neque personarum & munerum aliqua acceptatio (p). Primo, inquam, neminem superioris cujusdam movere debet timor, ut justitiæ transgrediatur limites. Ab omni omnino præjudiciorum genere vacuus esse debet Judex non a præcipitantiæ modo; sed etiam auctoritatis; ne cujus metu, dignitate, famæ splendore abreptus & occæcatus immatura & præcocia ferat judicia. Hinc varia apud varias gentes inventa sunt remedia ad præcavendum, ne quo modo alicujus auctoritate judicium corrumpatur judicium. Inter alia notatu dignus est ille mos ferendorum suffragiorum, qui olim Athenis in usu erat: Scilicet singuli calculum aliquem in urnam mittebant, album nigrumve, prouti reum damnare vel absolvere vellent. Quod judicandi genus vocabatur ostracismus, vel testarum suffragia (q). Alias egregium illud nomen justitiæ acquisiverunt sibi Areopagitæ Atheniensium Summi Judices; qui ut nullis moti blandimentis sese corrumpi paterentur, leguntur nocturno tempore jus dixisse; quo non modo quiete, remotis turbis, res inquirerent: sed etiam liberi essent, ne cujus specie, favore vel odio caperentur.

Quod

(p) 2 Chron. 19. v. 6. 7.

(q) Vid. Corn. Nep. passim. & J. Scalig. in Euseb. p. 94.

Quod ad amorem, seu favorem & illi oppositum odium attinet, utrumque a sincero & prudenti iudice sane pejus & angue est fugiendum. Sedulo sibi caveat iudex, ne quod in iudicando partium prodatur studium; atque ita aliquam suo nomini inurat maculam, suamque ipse lædat conscientiam; male enim res geritur, ubi locum habere potest nota illa querela: Plus valet favor in iudice, quam lex in codice. Hominibus enim in tantum favere & servire licet, quatenus jus & fas permittat. Hinc cordate satis Romani distinxerunt inter officiosum esse, & studio partium indulgere; ita ut levitate turpissima aliquid contra legum & juris regulam decernerent. Unde nescio, an Platonis subscribam sententiæ; qui ait: Memento necessarium ad res gerendas hominum benevolentiam. Servanda quidem est, quatenus honeste licet, hominum benevolentia; minime autem cum aliorum injuria captanda. Quam sedum sit studium partium etiam gentes olim solius naturæ lumine ducti perspexerunt; quod etiam in sua Idololatria indicarunt. De Cretensibus refert Plutarchus, quod aures & oculos Jovi deraferint; significaturi, ut Deum, sic iudicem personas respicere non debere. Ægyptii iustitiam sine capite pinxerunt, caput autem inter sidera occultatum, ut indicarent iudici aliquando rationem reddendam esse coram Deo, ut hunc metueret, nec oculis, nec affectibus suis litaret. Denique inter allatas iudicibus nocentissimas passiones, nescio, an pessimam dicam, avaritiam. Illud in confesso est, illam gravissimis (nescio quam veris interdum) vulgo carpi querelis. Fatendum est, quanto sordidius est in re tam gravi tetrico illo capi lucro, avaritiam summam cunctis dicendi juris Ministris afferre contumeliam. Hei! quam turpe est, ubi illa Poëtæ querela locum habet.

Auro pulsa fides, auro venalia jura
 Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.

E

Huc

Huic consentit Ovidius:

Munera, crede mihi, capiunt hominesque Deosque
Placatur donis Jupiter ipse datis.

Argute etiam, uti solet. Tacitus: Majore ex diverso mercede jus fasque exuunt (r). Ipse Deus ter opt. Maximus optime noverat, quam proclives essent homines, ut muneribus & largitionibus corrumpentur: unde illud tam severe & diserte divina sua lege interdixit. Ne accipias munera; muneribus enim videntes excacari possunt & justorum causa perverti (s). Legum etiam (ut alia taceam incommoda) avaritia infringitur vis & auctoritas. Unde scite Isidorus: Leges, inquit, avaritia sepeliuntur (t). Huic suffragatur Plutarchus. Solito leges perimit judicantium avaritia, præmia & dona legibus jura tollunt, ubique pecunia vincit, ubique venale judicium est (u). Quante inde ad justitiam fontem Deum ipsum oppressorum ascendunt vociferationes; quum nullum in legibus sit præsidium? Non enim sine causa notus sonat Versus:

Quid faciunt leges, ubi sola pecunia regnat,

Ac ubi paupertas vincere nulla potest!

Eleganter & sapienter Thebani emblemate sequenti expresserunt, quam incorruptus & candidus debeat esse judicantium animus. In foribus enim judicialibus, coram altari Deorum, judices sine manibus & Præsides sine oculis depinxerunt, innuentes, justitiam nec muneribus capi, nec hominum vultu flecti oportere. Quo autem non sola religione Deorumque metu (qui sæpe ex temerariis & audacibus mortalium præcordiis exolevit) verum etiam aliquo legum & pænæ timore ab injuste judicando continerentur & deterrentur, quibus judicia erant concredita, varias passim Judicibus legimus satis rigidas præ-

(r) Hist. 3. 5. 3.

(s) Exod. 23. v. 8.

(t) Isid. Lib. 1.

(u) Plutarch. De Iside.

praescriptas fuisse leges. Solon, qui sua sapientia locum inter septem sic κατ' ἐλογον dictos, Graeciae Sapientes meruit, sequentem iudici praescripsit legem: Ferret sententias juxta leges, nec acciperet munera iudicii causa: quod nisi fervaret, indubitata delicti comes poena sequeretur. In legibus etiam 12 Tabularum capitis damnabatur, quicumque convinceretur argento corruptus perverse iudicasse. Necessarium sane est ad frenandam in justorum avaritiam; ut Iudices, inferiorum saltem tribunalium, iudicii sui rationem Imperio reddant. Illud oculatissimi intellexerunt Romani: Quare illam utilissimam tulerant legem, ut Magistratus, qui fere annui erant, functi honoribus, si quid in Magistratu deliquissent, accusari possent: tales autem dicebantur rei reperundarum; humillimis etiam contra ipsos, si qua in re injuriam erant passi, jus suum persequi licuit: convicti autem primo exilio puniebantur & aestimatione bonorum: deinde Lege Julia idem amittebant & ordinem (x). Nec minus bonos & integros iudices justissimae nostrae volunt leges: Unde adversus injustos istos & male fidei iudices sequenti modo detonant. Si quis iudex arguatur, favore, studio vel cognatione corruptus falso pronuntiasse sententiam; atque adeo liqueat causa, ut ignorantiae nequeat imputari, vel quod causam male sit edoctus, Officio moveatur, illatam refarciat injuriam, & reliqua ipsius bona Regis fisco inferantur (y).

§. XV.

Si porro ad juris administrationem pertinentes viri, eorumque officia sunt perpendenda & explicanda, praeter Iudices (de quibus jam egimus) in unaquaque causa duae primariae occurrunt personae; videlicet actor vel accusator, seu qui alterum vel alios in jus vocat, & accusatus, seu reus, qui in jus vocatur; quae adeo necessariae vocari possunt

E 2

per-

(x) Vid. Casaub. & Torrent. ad Svet. Caes. C. 43.

(y) Leg. Danicæ Lib. 1. Cap. 5. Art. 3.

personæ: quoniam nulla omnino peragi lis¹ queat; nisi subsit causa, cur sit peragenda, & adsint litigantes, qui invicem contendant. Prior, videlicet actor, est qui primus litem mover; diciturque in nostra lege alterum lite petere, prior queri, & citare: In Romano jure, quod adhuc in Germania in usu est, in judiciis publicis vocatur accusator, & quemadmodum in privatis causis in eodem jure modus procedendi dicitur actio; ita etiam in publicis accusatio. Apud nos actoris & accusatoris nomina promiscue usurpantur & fere sunt synonyma. Actoris est primam a Judice contra adversarium impetrare citationem; atque cum in inferiori tribunali lata est sententia, ad Superius provocare Tribunal. In Romano Jure actio est generalis & solita methodus, qua in foro quisque de suo jure solemniter contendit. Quod olim apud Romanos in privatis judiciis coram iudice pedaneo a Prætoribus dato peragebatur: cum e contrario accusatio non locum haberet, nisi in publicis criminibus, quæ publica quadam lege erant vindicanda: quod antiquitus coram populo; deinde ab iis decernebatur, qui à Republica in judiciis capitalibus constituti erant iudices (z). Requiritur autem in qualibet causa, ut initium fiat a citatione; quæ est fundamentum totius ordinis judiciarii. In Ducatibus Schlesvici & Holsatiæ nemo ab altero in forum ipsius cogi potest; nisi per literas subsidiales (id est) non signata ad ipsius Magistratum mittitur citatio, cum precibus, ut citatus adigatur adesse & accusationi respondere. Quilibet autem actor sibi caveat; ne quo modo plus postulet, quam quod salva conscientia sciat ad se pertinere; atque adeo nequaquam illud sibi dolo aliquo vel astutia quærat attrahere, quod proximi esse noverit. Uti etiam citatus vel accusatus, cum in conscientia sua sit pervasus, quod ipsius injusta sit causa, nunquam falsis quibusdam &

(z) Barnab. Brisson. Lib. 2. Select. Ant. Cap. 1.

& speciosis rechneris aliquem injustæ suæ liti fucum inducere tenter; neque mendacio aliquo utatur, atque Judicem fallat; ejusque sibi meliorem sententiam tali fraude conciliet: Sed potius sine ambagibus & fraudulento prætextu causam suam Judici permittat, modeste illam expectans sententiam, quæ rei suæ pro circumstantia respondeat. In Romano jure ad prohibendam omnem inter litigandum fraudem & fallaciam, juramentum aliquod injunctum est, quod dicitur calumniæ & malitiæ juramentum. Cujus contentum est, ut jurare reneantur, qui in judicio contendunt, quatenus ipsis liqueat, justam esse causam; item ut nullis omnino usuri fiat fraudibus vel pravis artibus, dum res agatur. Juramentum calumniæ generale vulgo in quacunque lite, etiam cum provocetur, sed non nisi semel tantum, videlicet lite contestata, exigitur. Ab hoc differt juramentum malitiæ vel calumniæ speciale; quod inter agendum toties potest injungi, quoties Judici aliqua suspecta sit fallacia; de quo ex arbitrio decernere deber: Atque ita ex officio præscribi potest: etiam si ab adversariis non exoptuletur. Apud nos ejusmodi non adhibetur juramentum, idque non sine ratione; cum sic complura timenda forent perjuria. Quod in causa est cur (licet in Germania generaliter Romano utantur jure) in Saxonia tamen hoc calumniæ juramentum sit abolitum. Quod equidem utilius judicaverim; quoniam judices, quamvis in puniendis pejerantibus diligenter satisfacerent, officio nullo tamen modo profus cavere possent, quin, Romano hac in re servato jure, multa committerentur perjuria. Nam quantumvis non ab ipso litigante, sed a Procuratore tale fiat juramentum; atque adeo ipsius obliget conscientiam, licet ab illo, cujus causam agat, mandato sit instructus nescio tamen quomodo omnis pejerandi metus sit ablati. Quare consultius nostræ decernere videntur leges; quibus jubentur Judices, quoties dubia res videatur, Procuratores de juramento ex officio monere.

Immo, si necessarium duxerint; ut pro judicio publice jusjurandum repetant (a).

§. XVI.

Præter illas, de quibus præcedenti §. disseruimus, & diximus in quavis causa necessarias esse personas; dantur etiam minus necessaria. Quorum in numero primo ponendi sunt Procuratores. Quo generali nomine primo intellectos velim Jureconsultos; qui sunt viri in juris scientia præciores, quique usu & peritia in re forensi ante alios capita extulerunt: hi itaque ingenii acumine statim videre possunt ipsos contentionum fontes; facile perspiciunt unde natae sint controversiæ, & qua ratione ipsis commodissime sit occurrendum. Eorum itaque est, imperitos, qui ipsos consulunt, edocere, quid certi vel incerti, æqui vel iniqui, justi vel injusti sit in iis, quæ jure ad se pertinere existimant: atque adeo sibi caveant; ne de ipsis cum Cicerone sit querendum: Jurisconsultorum ingenii pleraque corrupta & depravata sunt (d). Deinde Advocati, qui Judicibus possunt demonstrare, quid veri falsive in causa lateat; quo facilius inde Judici verum justumque pateat. Tum etiam Procuratores strictissime sic dicti; qui aliorum nomine in jus eunt, eorum defendunt, adversariorum impugnant causas; quique adeo, sublatis tenebris, lucem rei addunt, ipsamque veritatem, qua justum rectumque nititur, magis reddunt manifestam. Trium itaque horum, qui alienis serviunt causis; si ipsorum scientiam & officium distincte spectemus, magna est differentia: Quæ vero eorum omnium ministerium eundem respiciat finem, conjunctim sub Procuratorum titulo possunt considerari. Hi omnes integerrimos se & optimæ fidei præstent in concreditis sibi causis; Jureconsulti bene consulendo & manu-

(a) Vid. Legis L. 1. Cap. 9. Art. 10.

(b) Cic. pro Murena Cap. 12.

manuducendo homines; Advocati jus rite applicando, & Procuratores commissas sibi causas scite & candide agendo; & in summa committentium utilitatem, quantum juste fieri potest, in judiciis observando. Justi præcipue sint Procuratores; ad quod efficaciter commoveri & impelli queunt: si modo semper meminerint, aliorum bona ipsorum fide stare. Ratio enim constat Oweno, cum ita canat:

Theologis animam subjecit lapsus Adami,

Et corpus medicis, & bona Juridicis.

Sint ergo immobiles instar lapidis quadrati & columnæ rectæ, ut ne hominum favore vel donis frangantur, vel metu concutiantur, aut muneribus inflectantur; ut olim Tribonianus (c). Detestandi ergo sunt & veræ publici pestes ejusmodi rabulæ, qui munera magis, quam causas captant, quibus fas omne auro est venale. In quos acriter invehitur Demosthenes: Causidicorum, inquit, lingua damnicosa est, nisi eam funibus argenteis vincias. Pacifici deinde sint, non turbulenti, qui honorando illo Patronorum nomine in gerendis causis salutari desiderant. Ast, quot hac in re pro gloria sibi dedecus pepererunt! Unde non mirum est eos toties & tam mordaciter a veteribus fuisse correptos. Ita enim de illis Martialis: Qui iras & verba locant. Ita Ovidius. — Jactat & in toto verba canina foro (d). Ita Prudentius: — Inde canina toto latrat facundia foro (e). Petronius acerbissima utitur metaphora; cum impudentem causidicum Cerberum forenssem appellet (f). His consentit Isidorus, cum eandem caninam carpat facundiam. Verbosus inquit, advocatus aut

rum-

(c) Vid. Svidam in hac voce.

(d) In Ibin v. 14.

(e) Prud. Ham. v. 402.

(f) Petron. Fragm. 687.



rumpetur, aut loquetur. Eandem Origenes cordam pulsatur: Rantæ, ait, signant clamorosas Advocatorum allegationes (g) Abstineant etiam Procuratores a probrosis verbis; ne quid alicujus famæ detraherent. Cui malo ipsi Judices admodum mederi possent, si intemperantem linguam nunquam non graviter & severe castigarent; nec indecorum quid aut perulans admitterent: quod sapienter etiam svidet Aristoteles (h). Cum autem in una lite non unus; sed plures contendant, Procurator autem unius partis tantum rem agere possit ac debeat; turpissimum ac nocentissimum adulationis genus foret; si procurator, qui susceptam causam pro virili candidè tueri debuisset, occulte adversariis faveret. Tales enim impostores vero duplices essent animo; quibus apte applicari possit illud Sallustii. Aliud promptum in lingua habere, aliud clausum in pectore fervare. Nihilò tamen fecius etiam respectu adversæ partis meminisse debet Advocatus justè semper esse agendum; ita ut si vel maxime adversariis injuriam aliquam propter ipsorum ignorantiam adferre possit, ab ejusmodi scelere ipsius ipsum detinere debet conscientia; susceptæ enim partes in tantum sunt tuendæ, in quantum justè potest fieri. Probi igitur est procuratoris se excusare, ne injustam suscipiat causam, doceat litigaturum, nihil ex tali contentione commodi sperandum esse; atque ideo quam potest maxime dissvadeat, ne frustra se rixis implicet. Quod si autem forte contingat, ut injusta quædam causa ipsi invito sit obruta; quippe quæ prima fronte speciosa videri potuisset non tamen ultra defendenda est, quam ipsa pariat justitia; quærat tantummodo, ne graviore pœna reus afficiatur, quam meruerat (i). Refert Plinius se in defendendis causis multas fraudes didicisse, quibus

(g) Origenes in Exod. 8.

(h) Lib. 2. Rhetor.

(i) Legis Lib. I. C. 9. Art. 10.

bus tamen nunquam uti voluerit. Caveat sibi Procurator, ne litigantibus quid svadeat cōtra conscientiam committere; eo enim ipsius læditur conscientia. E. gr. Si quis Judex tam esset injustus, ut se pateretur largitione corrumpi, nunquam tamen litigantibus svaderet, ut argento uterentur ad judicis fidem sollicitandam: heic autem prolixior esse nolo.

§. XVII.

Porro ad personas in foro minus necessarias referri possunt primo Assessores & ejusmodi viri forenses, qui antiquo Danico & Norvagico, uti & Germanico more in judiciis adhibiti sunt & hodieque adhibentur: quales sunt, qui in inferioribus assident judiciis; quique in Danica Lege dicuntur *Stoffe-Mænd*, in Norvagica *laugrettis-Mænd*: qui ut plurimum testificandi gratia assident: nisi in specialibus quibusdam causis, ubi simul suffragari & judicare debent. Deinde Scribæ, seu Notarii forenses, qui non omnino sunt necessarii; non quia in foro non sit scribendum: sed quia Judex ipse in Album possit refferre: Uti hodie faciunt inferiores illi in Norvania Judices, vulgo dicti *Sørenskrivere*. Publice instituti in foro notarii etiam majoribus nostris fuerunt ignoti; namque res olim præfenti litigantium disceptatione peragebantur: Donec sub regimine Gloriosissimi Regis Friderici Primi scripto agi cæptum est. Ex quo tempore ubique in Dania forenses Scribæ in usu fuerunt. In Norvania autem adhuc plerumque ipsi scribunt Judices. Tertio exsecutores & Magistratum inter-nuncii & apparitores, qui etiam non semper adhibentur: quum latis a Judice sententiis, sine illorum opera ab ipsis, qui liti fuerant impliciti, sponte satisfiat. Paucis tantummodo de singulis disseram. Quod ad primos, nimirum Assessores observandum est; quatenus testificandi tantum gratia assident, diligenter attendant ad omnia, quæ in foro occurrant; ut quoties postuletur, veram & incorruptam ede-

re possint forensē Attestationem (k). Ita etiam in illis causis, ubi suffragari & judicare debent, nullo occupati; sint præjudiciorum genere; sed e contrario sufficienti instructi sint juris legumque peritia & judicii acumine: ita ut nunquam temere judicent & precario, sine debito rei examine: aliorum solum suffragiis & sententiis consentiendo & subscribendo. Porro quod ad Scribas seu Notarios forenses, summam adhibeant diligentiam, cum quid in Album sit referendum, ita ut quam accuratissime scribant; ne quid addendo vel detrahendo perperam inseratur: hoc enim permagni interest, cum totius causæ momentum haud raro inde dependeat, atque unius sæpe vocabuli additione vel omissione jus perverti possit: Ita ut aliquis suo jure defraudetur. Quod ad postremos, scilicet exsecutores & Magistratum internuntios & apparitores attinet; solummodo fideliter & rite Magistratum exsequantur mandata; neque sub intempestivæ alicujus misericordiæ prætextu (quæ tamen nihil est aliud, quam turpis avaritia & proprii lucri detestanda aviditas) sese corrumpi sinant. In hoc, inquam, cunctisque ministerii sui, utut inferioris, partibus probe & sincere se gerant, ne qua justitiæ mora nectatur ipsorum incuria & malignitate: sed quos in ferendis sententiis Judices intendederunt fines, legitime obtineantur. Cum autem hocce vulgo sit notum, plura de eodem addere foret supervacaneum.

§. XVIII.

Ad personas minus necessarias, de quibus supra egimus, pertinent etiam testes; quippe qui non in quavis causa sunt necessarii: videlicet cum aliunde de causæ veritate constet. Sunt autem testes ejusmodi homines, qui legitime facto juramento, rem vel actionem aliquam, quam optime noverint, reddunt manifestam; idquo eo modo, quo res vel actio nominata quadam ratione secundum suam indolem

(k) Legis Lib. I. Cap. 7. Art. 5.

lem illustrari & confirmari debeat & indigeat. Quum vero dicam legitime facto juramento, illud indicaturus sum discrimen, quod est inter testimonium, quod in causa aliqua & lite in judiciis datur, & illud testimonium vel attestationem, quæ publice vel privatim, uni vel pluribus datur, ad rei alicujus veritatem confirmandam: hoc enim postremo respectu nullum ordinarie requiritur juramentum. Hinc respectu etiam hujus posterioris testimonii personarum testantium auctoritas rei pondus addit: sed priori casu sola valent juramenta. Ita enim sonat regula. Testibus & non testimoniis est credendum, nisi fuerint suspecti. Cum vero dicam certo modo secundum rei naturam testes juramento veritatem confirmare debere, ostensurus sum: quod testi neque opus sit, neque liceat ultra causam suam extendere explicationem; etiamsi respectu rei vel actionis in aliis casibus plura noverit: neque e contrario debeat, vel teneatur quid, quod de re vel actione sciat, detinere; etiamsi illi, qui ipsius jurato flagitant testimonium, nolint, vel ignorent omne illud in quæstione comprehendere, quod testi ita de re vel actione sit notum. Unus testis vulgo pro nullo habetur (1). Hinc illa trita est regula: Vox unius, vox nullius: quia unus testis non sufficit ad rem aliquam arguendam & demonstrandam. Quod Deus ipse Israëlitis & nobis omnibus indicavit & mandavit. Unus solus testis contra neminem ad mortem, testator (m). Apud priscos Romanos decem legimus adhibitos fuisse testes; apud nos duo sufficiunt, cum in re aliqua ipsorum consentiant testimonia (n). Hoc ipsius Salvatoris effato responder, qui dicit: In ore duorum vel trium testium omnis res stabiliatur (o). Cætera ob certas circum-

F 2

stantias

(1) Legis Lib. I. Cap. 13. Art. I.

(m) Num. 35. v. 30.

(n) Vid. Legis allatum loc.

(o) Matth. 18. v. 16. Confr. Deut. 17. v. 6. Cap. 19. v. 15. 2 Cor. 13. v. 1. 1 Tim. 5. v. 19.

stantias & rationes in nostris legibus jussum est, ut plures interdum adhibeantur testes. videlicet in quibusdam, navalibus præcipue; casibus (p). Ex ipso alias sciri potest Decalogo, piis testibus esse cavendum, ne falsum quid dicendo & perjurium committendo æternæ salutis jacturam faciant. Si porro ad legis dictamen sequendus sit & adæquatus judicandus testis; ita ut ejus testimonio rei veritas confirmari possit, quatuor hæc requiruntur. Primo ut integer homo habeatur; deinde ut legitime sit citatus, tum ut veram de causa habeat notitiam, & denique ut ipsius veracitati sua constet ratio. Quod ad primum probi & illæsa famæ sint homines, quorum in foro admittendum est testimonium, eisque fides habenda: Nam scelesti homines, qui ob furtum, conjurationem, magicas incantationes, perjurium, aut alia quædam graviora delicta antea legibus sunt convicti & damnati: Ejusmodi, inquam, hominibus omnis deneganda est fides, si quid contra aliquem velint testari (q). Secundo legitime citatus & in forum vocatus sit testis, ut ibi candide veritati testimonium perhibeat; atque illi similiter debent esse citati, contra quos postulatur testimonium (nisi ipsi sint præsentés & quicquid voluerint queant regerere) namque sine hujusmodi legitima citatione nullum in re forensi valet testimonium (r). Tertio probe illud sciat testis, quod testaturus est; idque ita ut ipse præsens viderit & audiverit, nec rumore & alterius ore & verbis pendeat (s). Et denique omnia testimonia in mera & incorrupta veritate debent consistere. Itaque non minori peccato suam onerat conscientiam, qui aliquid, quod confirmandæ veritati inservire potuisset, reticeat, quam

- qui
- (p) Legis L. 5. C. 4. Art. 18. item Lib. 4. C. 1. Art. 13, C. 2. Art. 4 & 12. Cap. 3. Art. 8. 21 & 22.
- (q) Legis Lib. 1. Cap. 13. Art. 20.
- (r) Ibidem Art. 29.
- (s) Ibidem.

qui mendax afferat testimonium. Ad iudicis autem pertinet iudicium discernere, in quantum testium effata sint acceptanda vel rejicienda. Unde etiam Divi Principis Hadriani verba in literis quibusdam ad Valerium Verum de examinanda testium fide sum allaturus. Quæ argumenta, ad quem modum probandæ cuique rei sufficient, nullo certo modo satis definiri potest; sic ut non semper ita sæpe sine publicis monumentis cujusque rei veritas deprehenditur. Alias numerus testium, alias dignitas & auctoritas, alias veluti consentiens fama confirmat rei, de qua quaritur, fidem. Hoc ergo solum tibi rescribere possum summam: non utique ad unam probationis speciem cognitionem statim allegari debere; sed ex sententia animi tui te æstimare oportere, quid aut credas, aut parum probatum tibi opinaris (t).

§. XIX.

Quum autem testibus summe sit religiosum divinum obtestari Numen; idque præcipue in foro coram Iudicibus & Magistratibus, quibus ab ipso Deo data est potentia iuramenta exigendi; quum tanta, inquam, requiratur prudentia, ne quid in hoc delinquatur: non abs re fuerit & in iudicantium & testantium utilitatem, & ad ipsorum acuendam diligentiam specialius de jurejurando paucis differere. Jurisjurandi initio afferenda & illustranda est definitio. Est autem iuramentum religiosa confirmatio rerum dubiarum, invocato Deo, teste veritatis & vindice mendacii. Vel ut alit: Jusjurandum est actio religiosa, qua jurans invocat Deum testem voluntatis suæ, quod non velit fallere, itemque obtestatur, ut Deus sit ultor, fallentemque puniat, atque huic se ipsum, si fefellerit, pœnæ obligat. Religiosam primo dixi, confirmationem; quid enim aliud est religio, quam conscientie obligatio, quare religionem vult Augustinus a religando dictam. Interdum religio pro ipsa sumitur conscientia, uti apud Cice-

(t) Lib. 3. §. 2. ff. de Testibus.

ronem habetur (u): quod in allata nostra definitione diximus, monituri, ne quis temere & non excutiendo conscientiam suam ad sistendum juramentum illotis, ut ajunt, manibus accedat. Quod, proh dolor! complures faciunt: quibus cum Demosthene prius cogitandum fuisset: Non tanti emo penitere. Quoties enim accidit, ut qui vane & inconsulte juraverit, mox suum ipsius juramentum refigere cogatur, idque non sine summa conscientiae anxietate. Quemadmodum de Hippolyto relatum legimus: Juraverat novercae, se omnia, quae peteret, praestitutum; sed ea concubitu petente, juramentum refixit. Juratum praestare voluisset; sed sero animadvertēbat, se temere jurasse, nec pie servari posse juramentum. Quanto magis nos Christianos decet servare juramenta, nisi sint impia; juxta illud Iliodori: In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum; quod incaute vovisti, ne facias: Impia est promissio quae scelere impletur. Justitiam Dei punitivam quis nescit inde etiam probari esse Essentialem, quod gentilibus natura sit nota. Hoc etiam Athenienses clare testabantur, inter alia illo instituto, quo hanc edixerant jurandi formulam. ἵσθ' ἑοῦς τῶν. Horum mihi Dii testes & conscii sunt. Hinc immotum & constantem esse debere testem etiam eleganter canit Juvenalis; testis tam firmam vult conscientiam, ut ne plurium quidem eorum juncto robore dirumpi queat.

— Ambigua si quando citabere testis

Incertaeque rei; phaleris licet imperet, ut sis
 Falsus & admoto dicet perjuriam tauro;
 Summum crede nefas animam praeferre pudori,
 Et propter vitam vivendi perdere causas (x).

Insigne

(u) Cic. de Divin. 1. 35.

(x) Juven. Sat. 8.

Insigne & profus admirandum religiose & sancte fervari juramenti exemplum est M. Atilius Regulus; quippe qui, ut notum est, infidiis captus a Carthaginensibus Romam ablegatus, ut ipsius libertate Carthaginensium captivi permutarentur, quod nisi impetraretur jurando se obstrinxerat, ut ipse rediret: Ipse autem ne permutarentur in Senatu auctor fuit, servataque constantissime religione, Carthaginem ad supplicium revertebatur. Regulum autem Carthaginenses, resectis crudeliter palpebris, illigatum in machina vigilando necaverunt (y). Testis jurando Deum ipsum voluntatis suae testem invocat. Hinc patet, quam nulla fides atheis sit habenda; qui Deum nullum credunt vel non credere simulant (z). Dicit insipiens in corde suo, non est Deus. Pii e contrario, ut in omnibus suis actionibus, ita in juramentis praecipue, omnipresentem Deum fidelibus intuentur oculis; certo persuasi, si vel maxime homines fallere possent, Deum tamen, verum illum *καρδιογνώστην* falli non posse; sed perjuros & nominis sui contemptores horrendum in modum ulturum. Gravis quidem est poena, quam in hac vita luere debent falsi & perjuri testes; sed longe graviolem in aeternum habent expectandam. Secundum Legis nostrae dictamen: qui in foro pejeraverit, & falso fuerit testatus, illi duo ressecandi sunt digiti, ipsiusque bona Dominis cedant (a). Romani olim falsos testes de saxo Tarpejo praecipitabant (b). Oleo ferventi eos olim; necabant Helvetii (c). Ipsi Deo veritatis fonti semper exosos, esse mendaces & perjuros, sapientissimus ille Salomon testatur: Mendacem linguam & testem mendacem odit Domi-

(y) Cic. cont. Pison. 19. confr. Val. Max. Lib. I. 1. 14.
 (z) Psalm. 14. v. 1.
 (a) Legis. Lib. I. Cap. 13. art. 10.
 (b) Gell. Noct. Att. Lib. 20. c. 11.
 (c) Vid. Stumpf. Lib. 7 de Helv.

Dominus (d). Falsus testis non innocens habebitur (e). Mendax testis peribit (f).

§. XX.

Cum jam de Juris natura, personisque forensibus aliquantum egerimus, haud alienum fuerit specialius quid ad rectam & legitimam juris administrationem pertinens attingere: Atque ita utile admodum judicaverim, si lites vel lata sententia, vel quacunque justa & honesta ratione quam citissime componantur. Satis tritum est illud apophthegma: Sapiens eligit optimum. Nemo autem verus audire potest Philosophus; nisi qui sapientia ante alios caput extulit. Ast, in confesso est, quod inter Philosophos haud ultimus sane locus Jurisperitis debeat, sequitur ergo in administrando jure semper ad finem respiciendum optimumque esse eligendum. Nunc vero inter homines rixas & contentiones quis defectus & vitia, corruptæque naturæ indubitata esse criteria negaverit? Quo igitur citius meliusque ejusmodi tollantur & removeantur mala, eo sapientius humanæ tranquillitati, & consequenter utilitati consulitur. Illustrari res poterit sumpta a Medicis similitudine. Si quis gravi constiteretur morbo, nonne videretur stultissimum de die in diem medicinam differre; cum statim non minus commode & salutariter adhiberi potuisset, atque ægrotus citius & cum minori periculo sanitati restitui. Quanta, quæso, malorum Ilias ex cunctatione nimiaque mora sæpe existit! Ut pergam^{us} in similitudine; quoties evenit, ut membrum aliquod leviter vulneretur, vel distorqueatur; quod si statim, qua fieri par erat, dexteritate & solertia curaretur, &

luxata

(d) Prov. 6. v. 16.

(e) Cap. 19. 5. - 9.

(f) Ibid. Cap. 21. 78. confer. Deut. 19. v. 18. 19.

luxata membra in ordinem redigerentur, nihil amplius mali attraherent: Ast neglectum sæpe summos dolores, gravem morbum, ipsamque haud raro morrem affert. Accidit heic, sicut in incendio, secundum vetus illud: Parva sæpe scintilla contempta magnum excitavit incendium. Haud alia in jure dicendo est ratio. Ipsa docet experientia inter conjunctissimos sæpe amicos leves initio & exiguas similtates, gravissimum sæpe & immortale odium, atque funestissimas peperisse contentiones: quibus si statim obviam itum fuisset, facile in gratiam redire potuissent; quæ inter cautiore jam diu, immo semper facta recta permanere potuisset. Hinc vetus illud non spernendum est consilium: Principiis obsta. Item: qui non est hodie, cras minus aptus erit. Quod si acius indagare velimus quas demum ob causas interliugantes tam periculosa & noxia; haud difficulter elici possunt. Novimus humanam societatem non in Sacris modo, sed profanis etiam literis elegantissime cum humano corpore comparari; nam sicut multa membra in eodem corpore ita sunt connexa, ut nullum eorum pati possit, quin doloris sensus sese per totum diffundat corpus: & si qua peccans materia in toto lateat corpore, circulo quodam ad læsam partem confluit, ibique vim suam exferit quam maxime. Ita etiam in humana societate, cujus Membra singuli sunt homines. Si qua invidia vel suspicio primum inter hunc & illum orta fuerit, atque altiores egerit radices; opinione citius suspicio iram, ira similtates, similtates contentiones & gravissima sæpe bella pariunt. Cum enim vulgo innotuerit male fidam amicitiam vel apertam etiam inimicitiam inter hunc vel illum foveri; non defuturi sunt inimici, qui oleum, ut ajunt, flammæ sunt infusuri, suoque veneno rem deteriorem reddaturi. Hinc Jurisconsulto nulla prætereunda est occasio lites quam maturime componendi, si modo rite potest & utiliter fieri.



Isocrates dicit. Optimos esse Jurisconsultos, qui dant operam, ut controversiæ quam paucissimæ exstent; & si quæ exstiterint, quam primum transigantur.

§. XXI.

At, *παράδοζον* forte videri potest, quod hic docetur, de festinatione in jure dicendo: Potius unusquisque judex cum arbitro illo inter certantes pastores apud Virgilium est monendus:

Sensibus hæc imis, res est non parva, reponas (g).
 Haud equidem ignoro quævis maximi momenti plurimam requirere attentionem, & sedulo esse pensitanda; ne quid præcipitanter fiat, ut notum sonat proverbium: Festinans canis cæcas parit catulos. Quis hoc sanæ mentis negaverit; sed distingvendum reor inter festinare & nimis festinare, inter diligentem circumspectionem & intempestivam cunctationem. Heic, ut ubique, modus est optimus. Quis, quæso, fidelissimum illum & peritissimum Philippum Alexandri Magni corporis custodem nimis accusaret festinationis, quod tam cito Regem tanto eripuit periculo: Strenuum attulit, non præceps remedium (h). Quis e contrario Fabium Maximum nimis insimularet cunctationis, quod tamdiu prælium cum Pænis detrectaret, donec Annibalem omnemque ejus exercitum Italiæ deliciis satis inescatos intelligeret. Expedit hic antiquam sequi regulam: Priusquam incipias consulto, & ubi consulueris mature factò est opus. Attamea heic, uti in omnibus humanis negotiis satius est lente rem agere, quam male. Unde verus sonat proverbium: Sat cito, si fat bene. Potius hic, in jure
 vide-

(g) Virg. Eclog. 3. v. 54.

(h) Curt. Hist. Alex. M. Lib. 3.

videlicet dicendo & administrando cum Plinio facio, quam cum illo, quem reprehendit, Regulo. Differit Plinius, uti solet, acute: Quæ potissimum ratione optime in foro agenda sit causa: Sicutne singula, quæ ad causam pertinent, excutienda; an ea tantum, quæ gravissima sunt & maxime momentosa. Ipse s'vadet singula esse percurrenda; ne quid male eligendo omittatur. Afferit Regulum contrarium exemplum; quem lepidissima convincit similitudine. Summam causam jugulum appellat, uti proximam ad mortem viam; reliquas leviores causas partes aliis assimilat membris. Ipsius afferre verba placet: Ita enim Regulus dixit Plinio: Tu omnia, quæ sunt in causa, putas exsequenda: ego jugulum statim video, hunc premo. Plinius illi responderet, posse fieri, ut genu esset, aut tibia, aut talus, ubi ille jugulum putaret. At ego, inquit, qui jugulum perspicere nequeo, omnia perterto, omnia experior, πάντα ἥνικα ἰδόν κινῶ (i). Quod si meum heic interponam judicium: cum Plinio quidem censeo nihil in causa esse prætereundum, sed singula esse pensitanda & excutienda: sed suo tamen ordine, & pro rei natura longe diversa ratione. Maxima causæ momenta primo & summa cura sunt ventilanda; deinde quæ minus sunt necessaria & momentosa. Imitandi heic sunt prudentes patresfamilias; qui quævis maxime necessaria opera primo suscipiunt, deinde illa, quorum non tam magnopere interest. Ex hoc etiam in agendis causis non exiguum credo nasci commodum; idque non solum ad veritatem eo melius investigandam; sed etiam ad res citius peragendas. Constat enim ex longiori disceptatione, in forensi illo rixantium strepitu, ipsis etiam Judicibus, quamvis patientissimis, haud exiguum oriri tedium, & judicii acumen reddi obtu-

(i) Plin. Lib. I. Ep. 20. 15.



sius. Quod si jam leviora præmitterentur; in iis, ut fit, diutius hæ-
reretur, atque adeo tempus frustra tereretur, nec adhuc quicquam
de rei summa liqueret. Cum contra, si a gravissimis fiat initium, in
primo statim limine cardo rei patefecer; quoque cognito, minori deinde
negotio & mora reliqua cum omnibus circumstantiis & consequentiis
innotescerent & dijudicari poterunt. Cum vero hæc summa indigeant
prudencia & iudicio, specialius quid de illo præcipere futurum esset
prolixius. Et nescio, an merito conqueri possimus, sæpe sincerita-
tem magis, quam scientiam desiderari, cum doceat experientia, il-
los interdum legum sensum distorquere & eludere, quibus nil minus,
quam scientia deest; sed prohi dolor! prudentia vertitur in sagacita-
tem. Unde non immerito quis de his posset dicere veluti Vellejus
de Mummio Corinthi victore: magis profuisse reipublicæ, si man-
set rudis illa simplicitas, quam hæc in tantum intelligi (k). Nam-
que, ut supra monstravimus, in omnibus jus administrantibus sine-
ritas primas tenet. Et sane lamentandum foret; si hodierni Christia-
ni divinæ sapientiæ radiis illustrati, virtutem minus saperent, quam
prisca gentiles, qui satis sedulo illo usi sunt lumine, quod naturaliter
ipsis erat concessum. Semper & ubique jus administrantes, quo ma-
jori præditi sint scientia, eo magis meminisse debent: Cui multum
est concreditum, ab illo multum reposcetur: cogitent mundi fragili-
tatem, æternitatis constantiam & perennitatem: cogitent subito re-
quiri posse ab ipso Deo omnis Justitiæ Auctore & summo Iudice ra-
tionem pro omnibus antea actis. Va tum illi, cui cum iniquo iudice
in mortis agone, horrendum illud scribendum est Epitaphium:

Nuper eram iudex, nunc Iudicis ante tribunal
Subsistens paveo, iudicor ipse modo.

Heic

(k) Vellej. Lib. 1. C. 13.

Hæc itaque; quam incepti finiturus sum telam, reliqua cujusque sinceritati, dexteritati & diligentia relicturus; neque enim negotia, quibus distringor plura permittunt.

Dicere; consilium resque locus dabunt (1).

Hæc itaque summam & breviter; sed candide tamen: De vera Juris natura & indole, ejusque justa administratione pro nostra mediocritate & temporis ratione disseruimus; ea spe, ut hæc nostra opella Summis Censoribus & candidis Lectoribus non futura sit ingrata. Si quid minus limatum occurrat; Vestrae confido humanitati; illud mihi jam tamdiu & tam procul ab illa Academia luce Musarumque sede moranti minus imputatum iri. Quam si benigne impertiveritis veniam, me semper, uti jam pridem meretis, habituri estis devotissimum. Generaliter quidem egi de Jure & jus administrantibus Magistratibus, reliquisque huc pertinentibus personis, quorum identidem attingi officia; nec non de prudentia in jure administrando. Quoniam autem nihil in hocce mundo est perfectum, illi merito censendi sunt optimi & perfectissimi, qui minime sunt imperfecti: Sincerus ante omnia sese commendat animus; qui si adfuerit, ibi trita valere potest excusatio: Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas. At hoc, ut omnia reliqua bona ab omnis bonitatis fonte Deo Ter Opt. Max. ardenti prece sunt imploranda. Consultissimus est, qui sapientissimum imitatur Salomonem precando ad Deum: Domine, da sermo tuo cor sapiens, ad judicandum populum tuum, ad sapienter dijudicandum inter bonum & malum. Immo faxit Deus, ut omnia, ut in reliquis, ita in jure administrando pie & juste peragantur, ac divini ipsius nominis gloriam & nostram omnium temporalem & æternam salutem!

G 3

latem!

(1) Trist. Lib. I. Eleg. I. v. 52.

Iuxta! Conserva Deus Serenissimum, Augustissimum Monarcham
 FRIDERICUM QUINTVM, Excelsum illud Justitiæ Co-
 lumen & Exemplar! Firma Deus ipsius Regium Solum! concede
 nobis diu sub ipsius Clementissima & Sapientissima Tutela requie-
 scere! O pacis auctor, Summe Deus, da pacem internam & exter-
 nam! accende amorem tuum in omnium animis; ut mutuo inde ar-
 deant amore, pacique studeant! coërcere Diaboli technas & infidias;
 ne ipsi odium & dissidia inter homines spargere liceat! Fac sileant li-
 tes, rixæ, & contentiones, ut quietam vitam agamus, hic & in futuro
 Seculo!

TANTUM.



Nobilissimo & Consultissimo

Domino

Joachimo Christiano Geelmuyden

S. R. M. Senatori in Curia Bergenſi & Notario Publico ibid.

pro

Summis in jure honoribus

differenti exiguo hocce Metro applaudebat

Pater

Gerhardus Geelmuyden

S. R. M. Confiliar. Confistor. Præpoſt. honorar. & Eccleſ. Oufenſ.
in Diœceſi Bergenſi Paſt. Primar.

Haud equidem genitor natum ſatis ipſe decenter

Tollere laude poteſt; ſed tamen id facio.

Det veniam Lector, ſpectet genitoris amorem

Quis animi flammas diſſimulare poteſt!

Laudari meruit, fateor; nam qua pietate

Me coluit fervens, optimus ipſe ſcio.

Non tamen in animo eſt glomerare encomia fili;

Si facerent alii, tu tolerare nequis.

Si

Si meritis aliquid peperisti nominis, euge!
 Id totum credas muneris esse Dei.
 Fac rectum; si quid didicisti juris & artis,
 Numinis in laudem cuncta ferenda puta.
 Sis semper gnavus, causas cognoscere solers,
 Judice te, ne quis laderè frustra queat.
 Respicias nullum; sed semper iusta referre
 Sis promptus, quod sit gloria summa tibi.
 Reddidit ex tenui te, qui moderatur Olympum
 Magnum, te parvos usque fovere decet.
 Quem moneam novi; monitis parere parentis
 Es semper solitus: hæc monuisse sat est.
 Illecebras mundi suspectas semper habeto:
 Est homo non firmus, mundus & oceanus.
 Hei! quanti surgent tentantes pectora fluctus:
 Divino tantum munere tutus eris
 Dextrorsum nunquam flectaris, neve sinistram
 Te vertas, medium semper eatur iter.
 Sat bene cœpisti, pergas modo limite recto:
 Qui dedit inceptum, cætera namque dabit.
 Instimulet, moveat, quæ fauste contigit, usque
 Gloria; te recte pergere mandat honos.
 Lætitiæ quantum facias, bone nate, parenti
 Exemplis facile noscere quisque potest.
 Noscere quisque potest; nam quid sit patris amare
 Ipse pius Jacob nos Patriarcha docet;

Cum

Cum post tot annos audiret vivere natum
Josephum vita est reddita decrepito.
Discussa est subito curarum pectore nubes,
Mutatur vultus, lata redit facies.
Filius & florens revocavit vivere patri:
Jam voti compos dulce habuitque mori.
Quid pius & David legitur cepisse doloris
Ex Absalonis morte relata sibi!
Pro nato mallet, fieri tantum potuisset,
Hei! animus quantus, succubuisse pater;
Dissimilis dicat aliquis ratio est; quia uterque
De quo dixisti, perditus ante fuit.
Dissimilis, fateor ratio videtur; at idem
Se semper prodit pectore patris amor.
Optavi cupidus, sperare vix potuissem,
Ut tibi, mi fili, gloria tanta foret.
Quis neget, est magnum quid justum posse docere:
Est rarum, justis copia rara hodie.
O salve fili, salve suavissime Doctor!
O tibi donetur recta docere diu!
Sis memor, & grate Doctum venerare Senatam,
Qui tibi dignatus concumulare decus.
Tu quoque Bergenensis membrum decreta Senatus:
Te nactum spartam condecorare decet.
Quid faciat dulci melius, quid majus alumno,
Quam quod jam fauste præstitit alma Themis.

Nate, Notarius es, te testem publicus usus
Vult fieri; quantum laudis & inde fluit.
Ornes ornatus tibi credita munera semper:
Sic felix vivis, rumpitur invidia.
Sic tua constanter florescat resque domusque,
Ut pateat cunctis optimus Oeconomus.
Sis felix vita cineresque memoria servet!
Sic liceat justo vivere perpetuo.
Tum tibi, mi fili, cœlestis gloria cedat;
Post has arumnas gaudia summa beent!
Hæc nunc pro meritis cecinit genitor tibi nate,
Optima quippe optat dicere posse pater.

